AD MEDICUM QUID? DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM PELLIZZARI RAINERIUS E...

Rainieri Pellizzari

AD MEDICUM

QUID?

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

PELLIZZARI RAINERIUS

E MONTEBELLO

E X A R A V I T

Medici nomine quidem multi, re autem
ac opere perpauci.

Hippocr. *de lege.*

PATAVII

TYPIS SEMINARII

1846

A VOI

CHE AVETE VERE VISCERE DI PADRE

MENTE DA EDUCATORE COSTUMI DA MAESTRO

POICHÈ

NELL'OPERA DE' FIGLI VOSTRI

VEDETE FINALMENTE

INCARNARSI IL PENSIERO DI VOSTRA VITA PERENNE

PEGNO DI RIVERENTE AFFETTO

QUESTO TENUE LAVORO

UN FIGLIO

CONSACRA

Primaevis usque a temporibus medicam artem qua incertam dubiisque principiis innixam habitam esse perspicimus, ut quae fallacibus experimentis multorumque caedibus exorta lente processerit: quamobrem quum aliquando medicus quidam novus exsurgeret, sepulchretum quasi institui putabatur. Quinam tantae injuriae in nostram scientiam auctores non satis cognitum perspectumque apparet. Nescio qua de causa, ait Baglivius, medica praxis ceteras inter scientias adeo parvi habeatur, quodque magis dolendum est, etiam apud indoctos contemptior in dies evadat. Hujus facti tamen varias adesse causas existimo: puta doctrinarum traditionalium auctoritatem, excedens scholarum imperium, theoricarum inventionum praestigium, novatorum agyrtarumque insolentiam. Praecipua tamen inter istas, ni fallor, praeoccupatio debet considerari. Primae quibus mens imbuitur ideae ita illa, ut ita dicam, potiuntur, ut contrariis via omnino nulla pateat. Huic causae praecipuae alias fas est superaddere. Pone

morem meris suppositionibus hypothesibusque nullis factis comprobatis credendi, unde efficitur, ut scientia probabilis tantummodo innumerisque obnoxia sit disputationibus. Neque id praetermittendum videtur quod permulti medicinae cultores scientiis huic affinibus nullam prope operam navent, ex quo fit ut luminibus beneficiisque careant, quae ex iisdem scientiis percipi possunt, et medicina ad illum evidentiae gradum, quem forsitan attingere posset, non perveniat. Hoc postremo reliquum est, ut indigitem quod nonnulli, quod saepe saepius fieri solet, omne studium mentemque theoricis tantum principiis conferant, neque haec praxi singulisque casibus applicare aut curent aut valeant.

Haec praecipua sunt rationum momenta, quae progressus medicinae impedierunt ejusdemque cultoribus non modo laudes sustulere, sed ipsos aliquando etiam conviciis affecerunt. Nimia mihi assumerem, vestraque abuterer fortasse patientia, si latius de qualibet istarum causarum sermonem vellem habere: quare argumentum ad duo arbitror capita redigendum: nempe hujusce mali causam medicis in ipsis ostendam adesse, qui aut scientias summopere medico necessarias ad praxim exercendam ignorant, aut theoricis recte suffulti principiis, haec applicare nequeunt, ideoque morbis mederi neque sciant neque debeant. Atque ut medicam artem ad illum honoris eveham gradum, ad quem jure meritoque promovenda est, paullisper de scientiis dotibusque vero Hippocratis asseclae necessariis versabor.

Inter scientias quibus praecipue medicum imbui necesse est primum gradum philosophiam tenere facile est dignoscere; dummodo tamen haec experientiae veritatique respondeat. Cuique patebit igitur non hic de illa sermonem esse philosophia, quae metaphysicis tantummodo ideis repleta, falsisve principiorum systematibus innixa omnibus errorum generibus turget (a qua immo medicus juxta ipsius Hippocratis exemplum abhorrebit); sed de illo philosophiae genere verbum esse, quae externarum causarum in corpus influxum definit, quae sphaeram agendi unicuique designat, quae rectas ab experimentis illationes deducendas edocet, ab effectibus causas dignoscit, quae rigide et attente facta et experimenta pervolvit, et mutuam physici in moralem moralisque in physicum potentiam constituit. Medicus qui hac careat, et in intimos naturae recessus studeat penetrare, lucem quasi, ut ita dicam, in tenebris ipsis inquirit: una enim philosophia ad recta principiorum systemata eligenda dux est, atque ad haec demonstranda media certa suppeditat.

Ipse, quem magistrum habere tenemur, Hippocrates philosophiae excellentiam necessitatemque cognovit: ipse, factis certis collectis, summa exinde et generalia doctrinae principia educebat, ut denique praecepta sententiasque immutabiles ex iis constitueret. Hoffmann cuique medicinae parti philosophiam praeposuisse compertum est: philosophia duce Galilaeus miranda illa scientiae, ut ita dicam, prodigia detexit: Columbus Cre-

monensis systoles et diastoles motum ac pulmonalem circulationem; denique, ut ad recentiores descendam, Gallinius primus inspiciens fibrae in semetipsam reagentis doctrinam, clarius vitae magisterium patefecit. Operae pretium fortasse hic esset de necessario philosophiae in omnes scientias influxu nunc dicere: et de illis praecipue versandum foret quae hominis cognitionem, ejus substantiae divisionem, et corporis proprietates respiciunt: ingens utilitas in praxi physicae, matheseos, hydrostaticae aliarumque partium quae fere organon ad anatomicas at physiologicas disciplinas ediscendas habendae sunt, demonstranda esset. Sed de his omnibus nomen tantummodo sufficiat exposuisse: neminem enim esse arbitror qui harum utilitatem disciplinarum nesciat.

Postquam congruam medicus operam philosophiae studio navaverit, ad humani corporis formam naturamque cognoscendam necesse est ut incumbat, in quo anatomiae illi scientia dux erit. Haec in solidis formam, positionem, contactus nexusque relationes, directionem, colorem, densitatem, cohaesionem, elasticitatem aliasque physicas proprietates disquirit vel ad lucem vel ad attractionem pertinentes; organorum structuram atque chemicam compositionem scrutatur, liquida quae in iisdem habentur, proprietates quibus vita manente pollent, actionem investigat. Denique medicus perfectam sibi per anatomiam partium illarum comparat cognitionem, quae conjunctae corporum organicorum syste-

mata constituunt. Haec scientia pars praecipua, quin immo basis historiae naturalis quoad regnum organicum, physiologiae generalis atque medicinae est existimanda: medicus reapse functiones noscere nequit nisi prius organorum structuram didicerit: nequit eorumdem morbos seu vitia detegere nisi prius sanam atque physiologicam ipsorum agendi rationem recte perspexerit. Anatomia vel alicui corpori organico disjuncto, vel pluribus comparationis causa, vel multis, vel omnibus etiam applicari potest: anatomia omnibus organicorum corporum systematibus conversa comparata appellata est; omnes reapse ipsa partes organicas complectitur, easdem comparat, quid in quolibet organo commune, quid peculiare et proprium sit, quid ad essentiam spectet, quid mutabile adsit, quaerit colligitque. Hic tamen anatomia minime sistit, sed latius longiusque patet: omnia enim quae in corpore humano a typo naturali deflectunt, observat, unde anatomia pathologica fluit, quae intimam atque reconditam organicorum in corpore vitiorum naturam revelat, seu haec ab aliquo morbo, seu ab originaria vitiosa partium evolutione consequantur: vitiorum formas detegit, relationes recentiores ostendit, quae inter partes vitiis affectas, et sanas his propinquiores intercedunt: denique modum patefacit per quem nonnullae in nobis novae partes evolvuntur, aut media efficacia exponit per quae natura pluribus organicis vitiis medetur; quae si media deficerent, aut brevis et summopere intoleranda vita foret, aut omnino impediretur.

Partium humani corporis structura perspecta illarumque natura penitus animadversa, physiologia nobis occurrit, quae organorum, quorum in anatomia perspeximus formam, functiones tradit. Hinc patet duplici modo ad hujus scientiae studium mentem nos posse conferre: aut nempe illam in se ipsa mere considerantes, et tunc studium purae theoriae habebimus: aut illam in usitatis medicinae applicationibus animadvertentes, et tunc physiologia medicinae ipsius partem constituet, summamque in praxi utilitatem suppeditabit. Hoc sub adspectu minus quidem physiologia late patet: non enim vitae historiam in quolibet organico corpore inquirit, sed ad humanam tantummodo naturam conversa hominis sani peculiares functiones scrutatur: singulas partes, quae corpus humanum conficiunt, perspicit, uniuscujusque actionem et omnium nexum notat; vim denique detegit per quam homo vita fruitur, seu illum in specie seu singillatim consideres. Hujus studium physiologiae quam maxime medicinae prodesse nemo sane est qui non videat. Quomodo enim variam agendi rationem partium morbis affectarum explicabimus, si vitae sanae processus ignoratur? Quoad medicinam physiologia qua notio recti habenda est, quae a recto quod deflectat intelligendum plane est necessaria. Ipsa cujusque organi historiam suppeditat, nexus functionum et sympathiae illius cum ceteris systematibus demonstrat: ipsa regularia organorum phaenomena nos edocens plurium morbosarum affectionum causam praepandit: ipsa

denique peculiaria quae in singulis personis adsunt discrimina patefacit, ex quibus aut vitia nonnulla organica manant, aut quorumdam origo fluit morborum: itaque basis doctae cujusque medicinae et praxis physiologia hujusmodi efficitur. Non his vero physiologia omnino finibus circumscribitur, sed latius diffusa in ipsis quoque animalibus vitae phaenomena examinat, unde physiologia comparata exoritur. Per hanc vitae phaenomena simpliciora fieri gradatim cernimus, et demum in ultimis speciebus tantummodo quaedam rudimenta fas est videre: in his elementa solum uniuscujusque functionis apparent, unde facile ejusdem ratio et finis dignosci potest, quippe qui minime denso sub illo velamine operitur, sub quo in perfectioribus animalibus vix pene sublucet. Ex hoc utilitas patet, quae ex assidua functionum magis minusve simplicium comparatione percipi potest. Hoc denique addamus, licere per viventium animalium sectionem illa quasi dicam vitae mysteria detegere, quae in hominibus inspici omnimode nequeunt.

Physiologia et pathologia inter se nexu indivulso certe cohaerent: haec unio non ab hominum voluntate, sed ab ipsa rerum natura pendet: Boerhaave reapse in medicina profitenda attractione, impulsione et universa sui temporis physice, Stahl anima, Van-Elmont archeo, Barthez principio vitali utebatur. Fluit exinde eo magis utilibus pathologiam principiis esse fecundam, quo magis docta et rerum naturae respondens fuerat phy-

siologia. Pathologia est quae innumeras generis humani morbosas causas disquirit, haec quae morbos in series dividit, illosque quoad spatium et tempus distinguit, quae omnia symptomatum genera diligenter scrutatur, pathognomonica a secundariis secernens; quae denique morborum curam comprehendit. Ex ipsa vera principia promanant, quae tantummodo rectam tutamque, quoad gradum et naturam morbi cognitionem suppeditant, quo deinde rationabilior curandi methodus adhibeatur. Nullibi tamen incertiora problemata tantisque obvoluta difficultatibus se se offerunt, praecipue cum de illis agatur quae diagnosticam et therapeuticam morborum constituunt. Ubique enim in hujusmodi problematibus elementa multiplicia et obscura adsunt: ubique dubium et attentae observationis summa difficultas: ingeniosior quaevis solutio nunquam certam suasionem secum fert, quin immo validis oppositionibus saepe saepius est obnoxia. Attamen severa analysi adhibita, licet medico semitam veri invenire. Ipse morbosarum causarum actionem examinat, quid quid obscuri in symptomatibus perpendendis occurrit, hoc physiologiae luce declarat, illarum progressum atque exitum investigat, tempus quo perdurant observat, textus mutationes in cadaveribus scrutatur, variarumque causarum effectibus compositis certam diagnosim et rationalem medendi modum deducit. Si hujusmodi studium morbos generatim complectitur, pathologiam generalem habemus: si vero peculiari cuivis morbo appli-

cetur, specialis pathologia exoritur. Ipsius studii necessitas satis luculenter patet: per hoc medicum rationalem a simplici et indocto empirico dignoscere cuique fas erit.

Medicus homini salutem restituit, morbos vel sanat, vel si nequeat, vitam aegrotis producit, aliquando etiam morbi ipsius, ut ita dicam, radicem tollit priusquam vim gravitatemque queat assumere. Haec omnia per aliqua media adipiscitur, quorum nonnulla diaetetica suppeditat, nonnulla et quidem plura pharmacologia indigitat; quae ultima, medicamina proprie nuncupantur, horumque medicus naturam, quantitatem, nec non tempus et modum quo porrigi debent, pulchre necesse est ut perspiciat: quoties vero auxiliorum therapeuticorum virtutem recte didicerit, remedia morbo aptiora poterit seligere: illa adhibebit quae aegrotis vel magis convenientia vel minus ingrata fore videbit; insuper ipsis simplicioribus mediis uti, et potius domesticam officinam quam illam pharmacopolae petere ipsi licebit.

Tanti est studium pharmacologiae, adeoque haec ceteris medicinae partibus adhaeret, ut ipsas praetermittere nequeam: sicut vero si de unaquaque versarer nimius viderer, sic aliquid tantummodo de his sufficiat exponere: pro certo enim habeo historiae naturalis, chemiae et botanices dignitatem utilitatemque neminem vestrum latere.

Hucusque utilitatem diversarum medicinae partium docuimus hominem in se ipso qua physicam personam considerantes: de his medicus edoctus organorum dis-

4.4?

positionem, functionum vitalium leges, morbos, remedia pulchre accipiet. Haec omnia ad personam a physicis morbis tuendam spectabunt. Sed medicus etiam hominem qua membrum societatis animadvertat oportet. Fluit exinde illa medicinae parte medicum imbui debere quae vario nomine vulgatur, ut recte quidem medicina politica possit appellari. Haec relationes inter medicinam et legislationem statuit, et in hygienem publicam seu politicam medicam et medicinam legalem vel judiciariam dividitur. Prima applicatio quaedam medicinae publicae saluti dici potest: secunda est scientiae ejusdem applicatio quibusdam civilis vel criminalis processus casibus qui per hujusmodi notiones clarius detegi atque dignosci queunt. Si paullisper in utriusque scopo examinando immoremur, facile quidem nobis earundem necessitas occurret. Quum id sibi publica hygiene proponat ut humani generis conservationem atque salutem tueatur, patebit universam societatem, nec non omnia physicae seu moralis naturae principia, e quibus societatis ipsius salus pendet, hujus scientiae considerationibus locum praebere. Publica hygiene facta, quae hominis ortum praecedunt praeparantque, primum considerat: causas exhibet quae impediunt quo minus species humana augeatur, atque harum causarum effectus exponit: coitus deinde atque propagationis amorem quoad societatis bonum examinat: sociales institutiones, quae multiplicationi obsunt vel favent, perpendit ut exinde illis utiles afferat muta-

tiones, quae etiam melius societatis statui respondeant. Statim ac auras homo vitales carpit, ecce publica hygiene curas definit quas societas ad illius conservationem et perfectionem usque ad pubertatem tuendam adhibeat necesse est. Ipsa idcirco quidquid ad hominis ortum refertur investigat, atque pericula quae hunc praecedunt aut comitantur patefacit ut queant impediri. Primam vitae periodum, quousque lacte nutrimur, diligenter observat, et curas huic aetati praebendas, nec non morbos magis in hoc primo vitae curriculo praecipites enumerat. Curas deinde homini ab infantia usque ad pubertatem impertiendas enucleat, et quid sit status civilis ad physicam juventutis educationem promovendam edocet. Post haec publica hygiene de causis, quae incolarum frequentiam vel servant et augent, vel delent atque imminuunt, versatur; hic vero haud sistit; sed praeterea quidquid animalibus aut vegetabilibus humanae speciei necessariis detrimenti sit aut detegit impeditque, aut saltem minoris momenti damnum reddere studet: hygienicas notiones in quaslibet societatis classes ad falsas damnosasque opiniones arcendas, ad ignorantiam vel negligentiam propulsandam diffundit, demum si cohibere nequeat, conatur attamen hominibus persuadere. Ipsa ad extremum vitae gradum hominem comitatur, de illius obitu nescit convinci; sed ubi mediis omnibus adhibitis certam mortis notionem adepta est, ad id totam se confert ut impediat quominus viventes cadavera detrimento afficiant.

Haud quidem minoris utilitatis medicinam legalem esse nemo inficiabitur: per hanc medicus politicus edocet quidquid ad propagationem et incolumitatem hominum vel animalium his utilium pertineat: permulta ecclesiastica decreta recte promovet dirigitque in dubiis casibus quoad sacramentorum administrationem, officiorum disciplinarium observantiam, matrimonialem impotentiam, artes magicas, prodigia aliaque hujusmodi: per hanc judices civiles instruuntur in variis quaestionibus, quae respiciunt aetates earumque privilegia, jura graviditatis, partus naturales et physice legitimos, malorum simulationem vel dissimulationem. Criminalia vero judicia ubi de veneficiis, infanticidiis, deflorationibus, vulneribus aliisque criminibus agatur, hac scientia adjuvante recta certioraque evadunt. Legalis medicina ad justitiae favendum, atque generis humani tutelam promovendam directa est. «Haec est, ait Hebenstreitius, illa amica imperantium atque medentium conspiratio, qua effectum est ut aliquo veluti connubio medicina ac jurisprudentia inter se jungerentur (1)».

Ast si scientiarum omnium, de quibus diximus, cognitio ad praxim feliciter exercendam summopere confert, necesse insuper erit ut medicus attente facta in quibuscumque relationibus perpendat, in quo experientia clinica ipsi vel maxime praesto fuerit.

Praecepta reapse in qualibet arte vel scientia etsi summopere necessaria, nunquam tamen ad aliquem in

(1) Anthropolog. Forens. in Prooem.

arte aut scientia vere peritum efficiendum sufficient. Hoc ut fiat illa in arte exercenda felix dispositio requiritur, quae a natura concessa, educatione conspirante crescit et augetur. Si morbi semper regularem cursum servantes, illos constanter exhiberent characteres quos in nosologiis ipsis tribuere visum est, tunc utique medicina scientia tantummodo memoriae et dici posset et foret. Facillime unusquisque adeptis uti posset cognitionibus: ad morborum enim naturam speciemque dignoscendam sufficeret ad mentem revocare quid quid circa ipsorum formam atque adspectum fuisset expositum: pariter et curae methodus secundum generalia atque indeclinabilia praecepta in quolibet morbi stadio summa felicitate applicaretur. Longe vero ab hujusmodi hypothesi res abest: tanta est enim in organicarum laesionum gradibus adspectibusque varietas, ut phaenomena quae illas concomitantur et secundum aegrotantis constitutionem et juxta cetera permulta accidentalia rerum momenta summopere modificentur. Cuique etiam summe in praxi perito peculiares organi laesi morbos in universali corporis perturbatione difficile est animadvertere, et quidquid futurum sit praevidere, et salutaria remedia invenire. Qui tantummodo in hisce casibus theoriam scientiae consuleret, in errandi periculum saepe saepius incideret, et scopum non nisi iterata post tentamina, et inutilia damnosaque experimenta consequeretur si docta praxis rationalisque experientia, non ei exempla praeceptaque ad tutam curandi viam in-

dicandam suppeditaret. Haec est experientia quae tutas leges utiliaque principia in clinica medica adaperit: haec medicum monet febrim cum linguae rubore conjunctam gravis morbi indicium esse posse ut quae denotet ruborem parem et fortasse majorem tubum digerentem occupare. In gastricis febribus aut gravioribus dysenteriis ubi corpus a morbo nimis oppressum mali gravitatem nequit praepandere, si ventris constipatio et metheorismus, aut valde elaboratae et foetidae egestiones habeantur; linguae rubor in causa judicium de gravi enteritide feret, etiamsi localis dolor omnino videatur deesse; experientia enim duce monitum est dolorem nec necessarium nec frequentem quidem in hisce phlogosibus haberi: ast contra quotiescumque hae graves sint et late diffusae, nullum doloris signum scimus apparere; sed potius ille angor, illa adest aegrorum anxietas, quae dolorum omnium complexus seu dolor generalis potest considerari. Empiricus si in hisce morbis fluxus copiam cernat, vel ventrem diu clausum moveri, et metheorismum evanescere animadvertat, caveat ne salutem speret antequam omne in lingua ruboris vestigium sublatùm fuerit. Experientia docente facile chirurgus aegrum levabit ab illo vesicae dolore peracuto, a tenesmo, ab illa dysuria quae morbum naturae dynamicae simularet; dum contra cathetere adhibito mechanica ipsius morbi natura, lapis nempe in vesica detegitur. Ipsum experientia de variis tumorum distinctionibus erudiet, et ubi ferri usus saluti, ubi detri-

mento sit, demonstrabit. Experientiae denique tribuendum hoc est, si chirurgi in aneurysmatibus curandis, in lithotomiis, in erniotomiis quae tanto splendore chirurgiam affecerunt, felices evaserint. Innixus experientiae oculista in cataracta visionem cito restituit; et si operatio praestanda sit vel contra omittenda, experientiae ipsius luce edocetur. Hac ductus obstetricus simplici manuum usu partum non naturalem in regularem convertit, graviditatem e polypo vel alio pathologico uteri statu secernit: caesuram in parietibus abdominalibus matris vivae et in illis uteri conficit, ut inde viam artificialem foetus nanciscatur ne morti quam secus certe mater oppeteret, ipsi sit occurrendum.

Theoria igitur generalia praecepta e multis peculiaribus factis deprompta patefacit: sed praxis medicum ad hujusmodi generales notiones in peculiaribus casibus applicandas et opportune modificandas edocet.

Experientia regulas in diagnosi et cura recte instituenda servandas clinico praebet; et quin leges generales praetermittat, omnia quae in singulis casibus peculiaria adsunt diligenter observat. Nequit haec, saltem quantum medica praxis expostulat, a doctrinis sejungi quae theoriam vitae, nocentium principiorum indolem, generalem vel peculiarem praedispositionem, existendi naturam, modum et peculiares morborum formas, denique remediorum proprietates illustrant. Haec omnia vero ad id dirigi debent, ut pathologicam et therapeuticam veritatem facti cujusque scitu utilis quoad

varias morborum species vel formas medicus posset ediscere.

Primaevis usque a temporibus medicinae studium fere omnino clinicum fuisse cognoscimus: hujus artis exercitium cuidam tantummodo familiae restringebatur: notiones quae medicam scientiam efficiebant non latis circumscriptae limitibus e generatione in generationem tradebantur. In exemplis potius quam in praeceptis requirebantur lectiones: Hippocratis antecessores et Hippocrates ipse ab una experientia pretiosas hauserunt cognitiones; hujus scripta prima fuerunt quae corpus doctrinae medicae constituerint. Operae pretium demum erit recordari observationem et analysim, quibus omnes naturalium scientiarum progressus debentur, etiam in medicina summae utilitati futuras. Haec enim a ceteris scientiis eo tantummodo differt quod facta ex quibus constat summopere sint complexa, unde summa quidem exoritur difficultas, non tamen talis quae nequeat superari. Juvabit ideo praecipue in medicina media omnia, quae utilem observationem et analysim reddere possunt, constanter adhibere. Quare summi erit momenti singula quaeque simplicia e complexis phaenomenis secernere, et eorum relationes et discrimina, quo melius cognoscantur, recte praefinire. Hoc vero praesertim ne praetermittamus oportet, ut ad omnia facta antiquitus vel recentius animadversa animum mentemque conferamus; numerus enim maxime ad haec bene intelligenda observandaque confert: si

facta defuerint aut potius si ipsa ignoraverimus, nunquam satis attenta nec utilis observatio esse poterit, et cito omnis analytica ratio deficiet; haec enim factis et multiplicibus usque indiget observationibus: atque pro scientia hypothesim et ambiguitates habebimus.

Minime vero sufficiet medicum hisce omnibus de quibus actum est imbui disciplinis: sed ut ex his ipse possit utilitatem percipere, ut has quotiescumque morbi impediendi vel curandi sint, recte queat applicare, permultis etiam peculiaribus dotibus necesse est ut fulgeat, maximisque satisfaciat officiis.

His, quas exponemus, nisi medicus dotibus polleat, nunquam certe cum laude praxim exercebit etiamsi diu in medicina versatus fuerit theoricisque dives valde sit cognitionibus.

Medicus recto eniteat opus est judicio: attentio sit illi cujusvis capax phaenomeni perpendendi: illa mentis adsit vis quae majoris momenti symptomata generalem inter functionum commotionem dignoscat: illa demum sagacitas quae therapeutica media sapienter applicet, illorumque effectus praevideat. Harum dotum complexus tantum medicum efficit. Fluit ex hoc unam naturam verum medicum, sicuti pictorem et poetam constituere posse.

Cum ejus sit ut aegrorum dolorem et poenas deliniat (difficile, attamen venerabile officium); ad hunc facilius finem assequendum aegrotantium fidem sibi curet devincire. Compos secretorum ad familiarum pacem tranquil-

litatemque spectantium, notionibus ingenioque etiam nonnullas morales dotes medicus opus est conjungat. In adspectu simplex, in moribus et vivendi ratione sit decens, humanus et pius, facilis, consolator malorum quae cum aegris ferme videatur dividere. Jucundi hujus et sublimis officii nunquam medicus obliviscatur.

Ne vero haec omnia satis esse existimetis: nil enim ipsa sunt, nil et medicus per se foret, nisi aura, dicam, aestimationis attolleretur, nisi summa de eo atque de ipsius virtutibus haberetur opinio. Nihil foret ipse in mundo morali haec si deficeret. Inde enascitur quemcumque, qui arti nostrae mentem contulerit, sapientem, modicum, studii, alienaeque utilitatis sollicitum, vitiis adversum, amicum virtutis esse debere.

Scientiis ita vero medico necessariis rapide declaratis, summaque clinicae experientiae utilitate animadversa, me ad praesentis medicinae status examen ferret animus. Uti ceterae scientiae, et ipsa semitam progressus percurrit: neque enim desunt praeclara ingegenia, neque gravissimi opera et inventiones momenti, quorum ope et lux dubiis allata est doctrinis, et falsa oblivioni data sunt principia et vera evidentiae lumine enituerunt. Praeterea amor scientiae qui in dies crescit latiusque diffunditur, illustrium copia ingeniorum, clarorum virorum incitamenta efficiunt ut majorem in posterum liceat progressum sperare. Hac innixus spe, isti finem facio sermoni, hoc mihi, ut animo menteque pro virili parte hujus scientiae utilitati incumbam, proponens.

THESES

I.

Si de errore arguantur medicorum sententiae, fundamenta, e quibus deductae fuere, infirmanda sunt.

II.

Ceteris paribus balnea, quae nostram non attingunt temperiem, majori activitate gaudent.

III.

Balnea marina in illis praesertim morbis juvant, quibus systema lymphaticum glandulare afficitur.

IV.

Quoties post cibum medicata adhibeantur balnea, minorem vim exercent.

V.

Cura antiphlogistica exanthemati applicata omnino indirecta.

VI.

Si lenta phlogistica bronchiorum vel parenchymatis pulmonalis vel vasorum majorum affectio haemoptoem aut comitetur aut sequatur, haec valde timenda.

VII.

Medicus si nervosum uti asthenicum morbum designet, fallitur.